

Anno Septimo. Et primo die Mensis Octubris quinte Indictionis apud Barolum, Nos Iohannes Pipinus de Barolo miles, In nostre mentis Intrinsecis Meditatione sollecita revolventes quibus operibus dignas domino deo nostro possimus gratias agere, qui nos sua divinitate propitia pro nostri origine processu temporis et etatum temporalium rerum eventibus fecundavit. Set cum a deo, nichil melius anima suscepimus, deo debemus Indulgere pro anima, que apud nos cariora existunt Iustum esse dignoscitur et divinis traditionibus approbatum, ut cuius vivimus munere Illi comode pareamus in opere. Igitur in presentia Mathei de Partucis Regalis Baroli Iudicis. Thomasii puplici eiusdem terre notarii et testium subscriptorum licetatorum de eadem terra *etc.* fatemur, quod cum Senioricius de Santa Cruce, olim archipresbiter, et Capitulum Maioris Ecclesie Sante Marie de Barolo, considerata et procurata in hoc utilitate ipsius ecclesie evidenti, cum tota debita iuris observantia dederint et concesserint, ad Annuum censum unius libre cere certo die eidem Ecclesie persolvende nobis in vita nostra tamen, Domum unam dicte Ecclesie existentem prope cimiterium Ecclesie memorate, ab oriente iuxta viam publicam, a meridie a medio pariete iuxta domum Marini de falco, ab occidente iuxta domum nostram et a septemtrione iuxta dictum cimiterium, que tunc Ruy-nosa, nullam vel quasi modicam utilitatem afferebat Ecclesie supradicte. rehedicandam et altius nostris sumptibus elevandam. Ita quod per mortem nostram eadem domus cum omni melioratione, ad ius et proprietatem dicte Ecclesie deveniret. Tali quidem pacto et conditione appositis in limine contractus ipsius quod nec dictus tunc Archipresbiter et Capitulum, nec successores sui dictam domum possent altius elevare ultra quam per nos domus ipsa fuerit elevata in altum. sicuti hec et alia Infra publica inde confecta apertius continentur et declarant. Verum cum ob devotionem quam ad eandem habemus Ecclesiam pro